

Dissertatio medica, inauguralis, de cynanche typho / [George Daniell].

Contributors

Daniell, George.
University of Edinburgh.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zbsks6z2>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE TYPHO,

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit


GEORGIUS DANIELL,
ANGLUS.

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M, DCC, LXXXII.



DISSECTIO ANATOMICA

IN ANATOMIA

THOMAE GLASS, M.D.

CYNANCHI TYPHI

SOC. REG. MED. LUTET. SOCIO

ANNO 1717

EA est seculi nostri gloria, ut libere ab omnibus
 coli possit medicina; ea est ingenti hominum excellen-
 tia, ut auctoritate et practica experientia, iugo
 vera a falsis, simplicium naturae ordinem a vano
 hypotheticum apparatus, spectare possit; ea est ve-
 rae experientiae dignitas, ut per se semper certa sit
 in reo ratiocinatio, non delectanda pars, in erroris
 saepe obnoxia mansuetudo, sed vera pars, est magna
 classis humanarum, hic communi, cadat, ut iuvenis
 conamina, quae illi non certitatem conserunt, non
 possit non benignè inspicere. Illi igitur perpen-
 dit, in iudicium danda, et admodum, et admodum a phis-
 iocorum medicorum, hanc a scriptis forsan sua
 opinionibus, deest, hanc celebris de angustis Nomine
 no condicere, hanc dabitur. Latens, factor ex-
 optatissimus, et in se, hanc dabitur, hanc dabitur
 rigens, ad cineres, hanc dabitur.

Petillius, Nominis, hanc dabitur

Apud, hanc dabitur

Observantissimus, hanc dabitur

hanc dabitur

Illustri Viro,

THOMÆ GLASS, M. D.

SOC. REG. MED. LUTET. SOCIO.

EA est seculi nostri gloria, ut libere ab omnibus coli possit medicina; ea est ingenii humani excellentia, ut auctoritatis et praejudiciorum excusso jugo, vera a falsis, simplicem naturae ordinem a vano hypothesium apparatu, discernere possit; ea est verae experientiae dignitas, ut per se semper certa sit; ea vero ratiociniorum deploranda fors, ut errorum saepe obnoxia inveniantur; ea, porro, est magni GLASSII humanitas, ille animi candor, ut juvenis conamina, quae nil nisi veritatem quaerunt, non possit non benigne interpretari. His igitur perpensis, tirocinium meum academicum, utcunque a plurimorum medicorum, immo! a propriis forsitan tuis opinionibus diversum, celeberrimo ac amabili Nomine tuo condecorare haud dubitavi. Valeas, fautor exoptatissime, et sub veneranda canitie, novo vigore vigeas! ad cineres usque permansurus,

Perillustris Nominis tui

Observantissimus cultor,

G. DANIELL.

DISSERTATIO MEDICA

IN A U G U R A L I S

CYANANCHE TYPHO.

CYANANCHE Typus eius generis febris est, quae typi nomine nuper in inguini vulgo incipit. Fabris propria haud insolito alia typi morbo, etiam adveniat, atque ita obicit, ut guttus typhomatia potissimum, et sola, si paulo minus attentus erit, autum abderant. Quod ad partem adhaerentem

* Adhuc guttus febrem non faceret, sed cum illis symptomatis simul intraret, a Febre illi, ligatis imprimis medici, item Mercati testimonio, constat; Oper. omn. Mercat. consult. p. 137. Patet. Oper. omn.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE TYPHO.

CYNANCHE typhus ejus generis febris est, quae typhi nomine nuper insigniri vulgo coepit. Febris propria, haud insolito aliis typhis more, clam adventat, atque ita obscure, ut gutturis symptomata potissimum, et sola fere, si quis paulo minus attentus erit, animum advertantur*. Quod ad partis adfectum attinet,
A primum

* Adfectui gutturis febrem non succedere, sed cum illius symptomatis simul ingruere, a Fothergill, sagacis imprimis medici, item Mercati testimonio, constat; *Oper. omn. Mercat. consult. p. 137. Fothergil. Oper. omn.*

primum dolet guttur, riget aere cervix,
 moleste quasi fune ligatus, movetur, de-
 voratur, saepe spiratur aegre; malus odor
 exhalatur, totae fauces, maxime quae ad
 pharyngem spectant, rubedine, qualis erysi-
 pelatosa est, sed minus aequaliter, rubent, et
 plus minus, sed non ita ut spiritum adfi-
 ciant, tument.

Ubi gravis accessio est, spirandi et devo-
 randi difficultas summopere vexant. Pec-
 tus et tergum dolent, angustantur. Vultus
 et collum ubique rubescunt. Omnes rela-
 tae partes ardent*; vitiatur vox. Propen-
 det lingua. Sitis urget non extinguenda.
 Strangulationis terret periculum †. Est ubi
 tumor faucium atque etiam ulcera cernun-
 tur. Alias pessimo tantum odore, ore ap-
 erto, inspectoque, conjectantur ‡.

Eodem

* Fotherg. ibid. p. 179. 180.

† Mercat. consul. p. 136.

‡ Fotherg. loc. relat.

xiv Eodem interdum, aliquando postero, die,
 - quae faucium partes alius ante rubuerant,
 - albescere, cineritii coloris esse, aut nigres-
 - cere, incipiunt. Quam coloris varietatem
 - non crusta quaevis, non inducta subjectis
 - locis materia, sed gangraenosa ulcerum ip-
 - sorum labes creat.

Vocis raucedo similis ei, quae in lue ve-
 - nerea et gutturis inde ulceribus, nota est, fae-
 - pe sola morbi naturam detegit*. Mox col-
 - lulum et guttur extrinsecus tument. Qui
 - tumor, mollis et oedematosi instar, crescente
 - communi ubique corporis morbo, q̄ cres-
 - cit. Idem quanto circiter die, quantum ul-
 - -ula temporis ratio, quae perquam hic variat,
 - -fervetur, summam nanciscitur magnitudi-
 - -nem, et quicquid albi in faucibus fuerat
 - in nigritudinem eodem tempore vertitur †.
 Quibus etiam accidit sublimis respiratio et
 - alta, spirituum revulsio, cum maxima pin-
 - narum

* Severin. p. 442.

† Fotherg. p. 186.

narum nasi distentione. Saniei per os et nares excretio etiam occurrit, cum variis ulcerum coloribus, et intensissimo foetore nauseam plerumque movente, ac fordida excretionem. In aliquibus vero extra, prope cervicem, et infra mentum glandulae apparent, pestiferi morbi naturam redolentes. Et universa cervix et collum intumescunt, et fauces cum rubore saturato, instar laquei suffocatorum*.

Sub finem, pessime spiritus olet, ejusque reciproca tractio et emissio, si minus ante, nunc demum difficillime peragitur. Mors mox miseros tollit.

Sic fere sese habent partis laborantis, in mortem desitura, symptomata. Quae tamen, eodem fine futuro, multum quandoque variant. Alias, ab ipso fere morbi principio, difficillime spiratur, alias immaniter tuffitur. Alias erecto tantum corpore spirandi fit facultas, alias devorandi nulla facultas. Post-

que

* Mercat. consult. p. 136.

que mortem illic, aspera arteria ad pulmones usque, hic, stomachus ad ventriculum sphacelo prehensa esse reperta sunt. Ulcerum fanies, corporis alieni parti adhaerens, eam inflammat, dein gangraenosam efficit, quandoque mortem infert*.

Febris, quae his partis symptomatibus coeva esse non negatur, atque etiam praecire facile perspici potest †, toto morbi cursu ita procedit,

* Erat quidem dira humoris conditio adeo perniciofa, et contagiosa, quod digitum patris indicem, quo extrahebat eum succum ab ore filii, mordicaret, et in ruborem moveret cum dolore. Tandem mox pater conquerebatur de difficultate respirandi et deglutiendi, cum dolore et tumore faucium, ac saturato colore, et glandulis extra apparentibus juxta mentum. Ex quibus secundo die halitum prave olentum expirabat, ita ut jure optimo posses colligere contagione filii patrem fuisse affectum. Id. ibid. p. 136.

† Nec multum fidere oportet, si febris mox non apparuit aut succrescat; nam saepe citius suffocat affectio, quam causa succendatur, ac non raro malignitas humoris corrumpit spiritus et mortem accelerat, sine eo quod febris succendatur; Consult. Mercat. p. 137.

procedit, ut quivis consimilis typhus, symptomatibus ad totum corpus pertinentibus, nunc lenioribus, nunc gravioribus, nunc etiam gravissimis. Pulsus non modice crebri, non pleni, non magni, non validi; sed, ubi coma nulla est, citissimi, perexigui, et imprimis debiles. Sensus hebetantur, oculi languent. Cibi desiderium, pro morbi vehementia, diminuitur, fastidiumve, aut nausea, saepe vomitus moventur*. Eodemque pertinet, quod omnia symptomata sub noctem perque noctem ingravescent, et si qua requies quando detur, ea interdum solum incidit. Mens quoque et animus, ut in aliis hujusmodi febribus malis, perturbationis et languoris corporei particeps est. Denique, magna omnium actionum imbecillitas tantum ad febrilem naturam accedit, quantum a phlogisticis omnibus adfectibus, quotquot sunt, discrepat, et toto coelo distat.

Va-

* Fothergil, p. 184. 185.

Variant quoque specie magis et magnitudine quam re et natura signa febrilia; usu venit enim, ut mentis confusio ad justum delirium adscendat, imbecillitas ad coma aut lethargum dimittatur*.

Postremo, strangulatio subita, quae quando dirarum agmen turbarum ducit, e communi corporis adfectu verius quam laborantis loci pendet.

Contagiosus quoque morbus est, totas familias quandoque vacuefaciens, et ad proximos primum, dein remotiores, quibus cum aegrotantibus ullum intercedit commercium, transiens, allatis hominibus inde, ubi is grassatur, ad diffita loca abstinens, et ante ejus finem eos reductos ad pristinam sedem corripuens.

Contagioni quoque tribuendum est, quod adultam minus, puerilem aetatem magis, adfectat,

* Fothergil, p. 187.

adfectat, et ex hac foeminium magis quam masculinum sexum *. Quae res, quantum debilitando agat, ostendit, cum imbecilliores natura, quam validiores, facilius et promptius subigat.

CAUSÆ REMOTÆ.

Morbi in contagione positi, et sola hac nocentis, opinio apud plerosque ita invaluit, qui de eo scripserunt, eumque tractaverunt, ut alias noxas, cum contagione concurrentes, ejusque vim augentes, parum circumspexerunt. Verum enim vero opportunitas ad morbum, ut ex historia modo per-texta facile colligi potest, haud inficienda est; quam opportunitatem in imbecillitate positam esse, aequè clarum et certum est. Quid enim, si non imbecillitas, in causa est, quod infirmiores, five aetate, five natura, five habitu, five sexu, prae caeteris, adgreditur?

De

* Fothergil, id. p. 178. et scriptores passim.

De aetate et sexu jam dictum est. Ea imbecillitatis vis est, in teneris incipientis vitae corporibus, ad morbos creandos, ut multo plures diebus ante pubertatem expirent, quam eodem temporis spatio, quolibet posteriore vitae parte, si extremum terminum, qui confecta aetas dicitur, excipias. Qui vero morbi sic exitio sunt ab infirmitate pendent fere omnes. Quid vermes, quid tabes mesenterica quae nuncupatur, quid fusa cum virescente materia alvus, quid vomitus huic aetati adeo familiaris, quid cibi fastidium, quid turba multiplex lentorum malorum, quibus vix ulla descriptio certior aut vocabula conveniunt, aliud significant? Nullane cum humanis aliarum animalium stirpibus rationis similitudo intercedit? Utque hae, quam plenissime pasta curataeque robore, magnitudine, valetudine firmantur, famelicae et neglectae marefcunt et labescunt; ita an eadem ratio non ad illas pertinet?

B

Eadem

Eadem de sexu dicenda et concludenda, ubi omnium animantium foeminae viribus magnitudineque, maribus cedunt.

Adeo autem natura et habitus easdem rationes recipit, adeo infirmi, pusilli, et infirmis simplicibus homines, morbis et morti obnoxii sunt, adeo validis et magnis staminibus praediti, multis noxis ad interitum ducentibus, quodam tenus, resistunt, ut hinc inter medicos opinio virium naturae, saepe sine externis adjumentis, invaluerit. Si igitur cynanche typhus, quod nomen huic morbo, ex re jam explicata, dandum censuimus, ut ex pleniore morbi historia constat, nisi post superioris saeculi principium non adparuit, quantum accepimus, actum quoque in calidis minime salubribus Europae locis *, natura locorum, coeli calor, debilitans imprimis res, luxus divitiarum ex novo orbe homines influxuum, ad
 simpli-

* In Hispania, ann. 1610, dein in insulis Mediterraneae maris, et Meridionali Italiae parte. Severin. de recondita abscessuum nat. p. 446.

simplicitatem ante morum pene aegrestium, et aliae noxae, quae prompte ad animum cuiusvis adcurrunt, et nostra non egent narratione, facile ad hunc, aut quemvis in infirmitate positum morbum, opportunitatem creare posse videbuntur. Quae res hoc porro confirmatur, quod omnes morbi in infirmitate consistentes, intra idem fere hoc temporis spatium, partim primum in Europa occurrerunt, partim majore vi, propter nova incolarum vitia, luxum, et desidiam. Etiam hoc in tempore, inter caetera mala, variae typhi et febrium pestiferarum formae saevierunt.

Sic externae res viam ad hunc morbum haud dubie straverunt, hominum habitus et mutando, paulatim etiam permanentiorem eorum firmitatem simplicium texturam flectendo.

Neque ab eadem conclusione abluat, quod tam alii imbecillitatis adfectus, hic, in septentrionalibus Europae tractibus, ubi omnes noxae relatae haud paulo mitiores

ores sunt, multo lenius, quam circa meridiem, exercent hominum corpora.

Hae omnes noxae, una cum contagione, ut opportuna huic morbo corpora reddunt, ita, postquam earum communis vis certam magnitudinem nacta est, eaedem

Noxae excitantes—Eodem operis genere existunt. Imprimis valet

Contagio—Cujus vis esse videtur infirmare summopere, cum reliquum omne corpus, tum, proprietate nobis incognita et frustra disquirenda, fauces. Utque caeterae contagiones, infirmandi potestate praeditae, dum omne corpus adficiunt, tamen ab alia in aliam partem paulo magis incumbunt, pestifera in glandulas, febrilis in cutis vasa perspiratoria, ita ut petechias efficiat; sic huic contagio propria, fauces prae caeteris locis adfectare judicanda est. Quo modo id fiat, inquirendi neque causa, neque usus, neque potestas, nobis concessa est.

Porro,

Porro, cum reliquae contagiones, sine ad-
 jutricibus noxis, aut inhabiles sint, suo
 quoque morbo inferendo, quod certa res
 firmavit, aut perquam lenem inferant; idem
 de hac contagione verum est. Quod ratio-
 nis cum reliquis illis contagionibus simili-
 tudo suadet, et morbi cum gravioribus no-
 xis conjuncti vehementia, cum lenioribus
 lenitas, confirmat.

Reliquae noxae excitantes ad infirman-
 dum, calor et luxus indirecte concurrunt,
 frigus recta.

Causa quae proxima nominatur ex cau-
 sarum remotarum historia et symptomatum
 ex debilitate totius corporis, et praesertim
 faucium, pendere videtur.

Dies judicatorii, sicut magno placuit
 Hippocrati, et multis post eum medicis,
 hic manifeste nulli sunt. Nam alii primo,
 alii secundo, alii tertio, alii quovis die ad
 septimum,

septimum, plerique ante quartum, moriuntur*. Et quamvis qui, decimo quarto die, qui in febribus tutus a periculo plerisque medicis visus est, superstites evaserunt, ii in portu navigare creduntur; sunt tamen qui multo post perierunt†. Quod si cui rationis similitudo tamen aliquid contra hoc factum posse videatur, et ad febres, ubi tot medici judicationes esse judicarunt, provocetur, ne illic quidem judicationis opinio solidi quicquam habere comperietur. Primum quod Hippocrates, numeros Pythagoricos secutus, potest rationibus magis quam rebus certis et fidis observationibus paruisse, quod multi post eum fecerunt; dein quod verisimilitudo isti opinioni repugnat. Nam, si quis medicus nihil in febribus, si quis male, si quis ab aliis diverse, si quis melius, si quis bene, febres curat, an iidem tamen ad amissim, aut omnino,

* Cull. Praelect. de Peste.

† Aelii op. de morbo strangulatorio.

motus procedere, et non pro curationis di-
 versitate variare, credendi? Non verifimi-
 le est. Porro, si auctoritas spectetur, nonne
 tot medici rejiciunt, quot recipiunt, judica-
 tiones? Quinetiam, si in natura inesset facul-
 tas certos motus, contra solitam horum extra
 corpus causam conciliandi aut moderandi,
 nonne haec aequabilis esse oportet, et valere in
 omni febrium genere, quae communis alio-
 quin naturae participes sunt, atque in op-
 portunitate ad has, etiam in secundissima
 valetudine, valere? Sed quis in opportuni-
 tate ad febres, quis in secunda valetudine,
 motus aut dies judicatorios, reperit? Tum
 in quotidianis, in tertianis, in quartanis,
 aut in singulis his, ubi duplicantur, aut tri-
 plicantur, aut dimidiantur, rursusque ubi,
 perditis accessionibus quibusdam, jam quin-
 tanae, sextanae, septanae, fiunt, et sic dein-
 de, donec ad decumanas perventum fuerit,
 quae motus aut inter se aut cum continuis
 febribus consimilitudo est? Si in magno
 interitus et extinctionis vitae periculo, hos
 motus

motus natura ad se conservandam fuscitari objiciatur, cur, ad eandem periculi magnitudinem summovendam, illa non iisdem semper copiis utitur? Non enim in variis continuarum febrium formis, aliis melioribus, aliis saevioribus, pro ratione aliae judicationes existimatae sunt. Et intermittentes in calidis orbis plagis aut remittentes, saepe multo, quam continuae in frigidis regionibus, periculosiores sunt. Quae tamen non iisdem judicatoriis motibus repelluntur. Postremo, si quid in judicationum doctrina firmi foret, nonne ad aliquam curandi felicioris rationem, ea, quae rejec-tis his motibus tractatur, ducere jamdudum debuit? Quod utique an fecerit, jure dubito. Ex diebus igitur judicatoriis, pace magnorum virorum qui hanc doctrinam amplexi sunt, rationis similitudo nihil sane ponderis adfert, contra certam rem, qua nulli hujusmodi motus cynanchem typhum comitari ostenduntur.

P R O G-

P R O G N O S I S.

Ulcus sine crustis albescentibus, rubedinem faucium, quae primum adparuit, secutum, colli et gutturis modicus tumor, pituitae ex ore copia profluens, spiritus non male olens, nullum cibi fastidium, oculorum nitor permanens, bonum eventum ostendunt, quantum ex loci laborantis signis judicare fas est.

Quae contraria, oculorum nitor perditus, tumor extrinsecus, quasi oedematofus, magnus, spiritus male olens, faucium livor aut nigrities, cibi fastidium, spirandi difficultas, aut labor, denunciant summum periculum*.

Nullum de eventu ex febris signis a scriptoribus judicium factum nisi per signa febrilia. Ubi multum diversa a prioribus curationibus medendi ratio instituta fuerit, plurimum

* Fothergil. p. 184. 185.

mum huic loco lucem tandem adfundent. Aliud etiam iudicium ex contagionis vi, effectibus patente, aliud ex concurrentium noxarum magnitudine, utrumque cum magno fructu, petitur.

De contagionis vi ex eorum numero, quos corripuerit, ex morbi in unoquoque magnitudine iudicandum. Itaque huic cum aliis contagionibus, corpora hominum infirmantibus, cuiusmodi pestifera, aut pe- techialis est, commune est, ut quo tempore primum invadit, nocentissima sit, et neque aetate neque sexui parcat, adultosque pariter et pueros e medio tollat.

Melior quoque aut peior eventus spes erit, prout noxae concurrentes, pauciores aut plures, mitiores aut vehementiores, forte praecesserent. Hae sunt coeli calor, quandoque etiam, ut videtur, frigus, inedia, victus inidoneus, fordes, corporis quies, aut exercitatio fatigans, et convalescens ex aliis morbis status, et alia consimiliter debilitantia.

Postremo,

Postremo, quicquid in communibus toti corpori symptomatibus boni secusve notat laetiores aut tristiores, in typho aut similibus adfectibus febrilibus, eventum, id in cynanche typho.

C U R A T I O.

Ex causa cynanches typhi supra constituta, solum ei medendi consilium est, vim totius corporis augere. Ad quem finem, omnium auxiliorum usus dirigendus, neque ullum, cujus contrarium opus experientia demonstravit, recipiendum, quaecumque fuerit nonnullorum medicorum, nondum comperta morbi natura, curandi consuetudo.

CON-

CONSILIUM MEDENDI.

Quo Exteri medici in hoc morbo usi sunt, erat putredinem aut acrem et corruptam materiam, tam in partis, ut iis visum est, quam totius corporis, vasis ejicere. Quae curandi ratio ex falsa prorsus causae opinione nata est. In vivo corpore, sanguis nunquam putrescit, aut ullo modo ita corrumpitur ut morbosum statum faciat, et causae munere fungatur. Ergo auxilia falsa sunt omnia, quaecunque putredinem vel educere, vel ullo modo ad eam superandam, et sic causam tollendam, pertinere credita sunt. Sanguinis detractio, sive liberior, sive parcius, sive ex communi cumulo, sive ex vasis partis, sive recta e parte laborante, sive inde ad alium locum diffitum, revelendi aut derivandi spe, adeo non ad medendum pertinet, ut noxam atque etiam mortem inferat*. Concisio igitur, sive par-

* Fothergil. p. 191. Mercat. consult. p. 135. 138.
P. Michel de Heredia, p. 101. Sagambat de peste faucium affect.

tis inflammatae, five aliae * damnanda, item hirudinum usus †; neque sanguinis detracti species, five quantum laxus est ‡, ut circa principia, five crustam praebentis, ut post biduum aut triduum moranda ||. ‘Ac ne una quidem initio ex magnis vasis detractio permittenda.’ Alvi quoque purgatio nocet, semperque exitio est, aut esse minatur §. Nitrosa, refrigerantia, etiam noxa sunt **, neque vomitus non malus. Qui, si initio, dum nausea et naturalis vomitus permanet, a gravi viro prodesse dictus est, ejus auctoritas contra certam rem minime valere debet. Nihil enim ea conturbatione debilitantius esse, imbecillitas actionum corporis et animi inter vomendum, ruens quasi ad mortem, natura morborum in quibus praecipuum symptoma

* Cort Miscel. p. 697. Fothergil. p. 230.

† Fothergil. p. 194.

‡ Fothergil. p. 209.

|| Ibid. p. 214.

§ Fothergil. p. 189. 215.

** Fothergil. p. 231.

ma vomitus est, in manifesta infirmitate consistens, ejusdem stimulantissimo quoque auxilio sola felix curatio, ipse denique adversus morbos phlogisticos fecundissimum auxilium, ostendunt. Quod igitur in his adeo prodest, id in contrariis, nempe infirmitatis adfectibus, non obesse non potest. Neque vesicatoria, quamquam ab eodem ingenioso viro commendata *, ad hujus aut similibus morborum, in infirmitate positorum, curationem accommodatiora videntur. Possunt quidem, quanto minus humoris auferunt, tanto minus obesse; sed quantum auferunt, et hic auferre dicuntur, tantum infirmando, et morbi causam augendo, noceant necesse est. Neque deest, etiam in eorum numero, qui in hujus aliorumque in imbecillitate positorum morborum curatione erraverunt, qui nostram de vesicatoriis sententiam probaverit, eaque in cynanche typho apertissime damnaverit †. Sudorem etiam, ob e-

asdem

* Fothergil. p. 236.

† Heredia, multi, inquit, etiam vesicatoria consulunt spatulis applicata. Quod auxilium parum prodesse semper vidi; *Heredia, p. 108.*

afdem si caufas, damnandum judicarem,
 fi ad peum medicos decurriffe vidiffem.
 Quod utique, cum non factum eft, reftat,
 ut demum reddam rationem rejiciendi
 auxilia et curationem quae adhibita tam-
 diu funt. Rejicienda igitur funt, quia con-
 trariis profus huic morbis, fcilicet, phlo-
 gifticis, potentiffima funt auxilia. Sic in
 rheumatismo acuto qui dicitur, in cynan-
 che tonfillari, quoties vehementior folito eft,
 in eryfipelate cum graviore capitis adfectu,
 in phrenitide vere phlogiftica; nam faepe
 confimilis ei fymptomatum concursus alius
 eft, atque in peripneumonia, fanguinis
 detractio, purgatio fupra et infra, item
 fudor, quid ad falutem valeant, nemo ig-
 norare potest. Quem ufum ideo praefant,
 quia fanguinis, humoris in canalem ali-
 mentariam excernendi, et perfpiratorii cu-
 jusque in fuis vafis, abundantia, distenden-
 do, et fic graviffimum ftimulum longe
 late corporis objiciendo, potentiffimae ad
 morbos creandos noxae funt. Qua abun-
 dantia rationibus relatis fublata, vis fyfte-
 matis,

matis, pro ratione nimia, turbas graves concitans, efficaciter imminuitur, et saluti optime consulitur. In cynanche vero typho, et consimilibus formis febrilibus, neque sanguis, neque humores isti, extra et intra excernendi, abundant, contra deficient, necesse est. Sive enim aetas, sive corporis habitus, sive noxae aliae quae ad morbum pariendum concurrunt, spectentur, nihil reperias, quod ad vasa quaevis replenda, et nimium vigorem dandum, pertinere, et non contrarium prorsus efficere, judices. Eane abundantia in pueris, in puellis, in imbecillis, undeunde habitibus, et sub coelis ardentibus, ubi summi corporis vasa in perpetuo quasi sui madoris balneo detinentur, ineffe judicanda est? Minime sane. Et, postquam coepit jam morbus, et in cursu est, nonne nausea, nonne subinde vomitus, nonne cita toties alvus, vasa ubique excernentia relaxata, et exhausta, etiamque sanguifera, demonstrant? Postremo, si curationis effectus respiciatur, ea imprimis damnosa, atque etiam exitialis evincitur, qua aut sanguinis aut alij humoris detractione, aut a-

lio

lio quovis auxilio antiphlogistico, tractata est *. Quod si vir egregius Fothergill, qui sanguinis detractionem et alvi purgationem liberrime rejicit, non vomitum quoque damnavit, et vesicatoria etiam prodesse opinatus est, id fecit, quia vomitum alio ac antiphlogistico opere agere credebat, et vesicatoria prodesse existimabat, quia minus reliquis antiphlogisticis rebus nocent, cum bonis suis remediis conjuncta. Idem vir egregius acetum, et alia acida e plantis confecta, quia causam morbi putredinem arbitratus est, adhibuit †. Quin, si sibi quodammodo parum constans, sanguinis missionem quandoque recipit ‡, ea omnia facta sunt, quod vir ingeniosus praejudiciis communis curandi rationis superandis impar; verum quidem vidit, ut cum calidam et stimulantem administrationem commendavit,

* Fothergil. p. 188. Mercat. 227. consult. p. 138.

† Fothergil. 215. 216. et seq. Fothergil. p. 231.

‡ P. 231. et in ima pag. adnot.

davit *, sed quasi per altam caliginem, ut cum aliquis filvis errans noctu, aut videt, aut vidisse putat, per nubila lunam. Nondum ille aut quisquam praeterea deprehenderat morbos esse, in tali causa, qualem hujus posuimus, positos, et longe maximam idiopathicorum partem ad eos pertinere. Inde factum, ut in his curationis, phlogisticis propriae, magna pars retenta sit, utrorumque naturae diversitate nondum explorata. Haec praefatus, ut ad nostrum mendedi consilium, et auxilia ei convenientia, redeam.

Cum morbus forte paulo lenior est, ut in hac saepe regione, postquam noxae leniores praecesserant; vinum, aut potio saccharina diluta, satis plerumque erit ad morbi vim frangendam. Post quod, ad juscula bovinum, pullinum, aut vetulinum decurrendum, quibus potio diluta, sed parcius quam ab initio, usque alternanda, donec ejus usus supervacuus fuerit, jamque

* Ib. ibid. p. 231.

jamque convalescens naturalibus cibis et motionis stimulis sustentari potuerit. Quid valeant contrayerva, cardiaca, aromatica calefacientia, operae pretium est inquirere. Minime validi sunt in totum corpus stimuli *, eoque hunc morbum in totius affectione positum †, minus quoque sublevant. Cumque in ventriculum magis, quam reliquum habitum, suum opus, ut videtur, derigant, ob has causas tam delectus eorum habendus, quam parcus cum validioribus vini potio- nisque caetera validae stimulis conjun- gendi, aut alternandi. Haec dicta ad eos spectant, qui aromaticae naturae sunt ‡. Nihil acidi, sive merum, sive cum his aut aliis conjunctum, convenit. Putredo enim a corpore humano vivo, praesertim a san- guine, abhorrit ||. Cumque frigus et acida et vinum, contra putredinem facere, un-
de

* Fothergil. p. 219.

† Id. p. 223. ad 226. Vid. etiam historiam hic supra traditam.

‡ Id. p. 231.

|| Vid. Milman, cujus putredinis refutationem egre- gius noster Cullenus probat.]

de sibi antisepticorum vocabulum nacta sunt, ab egregio viro judicata sunt, ea opinio jure repudiata videtur, et a nemine fere non, qui rem attentius consideravit, dubitatur.

Frigus in calidis temporibus, aut sub coelis calidis agit, nimium calorem, unde robur indirecte frangitur, et is status, qui pro putredine vulgo habitus est, inducitur, ad id quod robori convenit, deducendo. Vinum, cum plenius datur, stimulo praeditum esse, omnes norunt. Sed ita parce datum, ut diu vulgo solitum est, non multum boni praestat. Agit autem ita, ut sub relata conditione frigus, robur restituendo, et sic reddendo ineptum corpus ad statum, qui putredo dicitur, efficiendum. Ad quod ubique praestandum multo sane liberius et diutius, quam hactenus factum est, ingerendum; et saepe, ubi sic administratum, parum proficit, ad validiorem multo potionem, aut etiam ad altiores stimulos, confugiendum. Hoc ubi fit, quia causa, imbecillitas, tollitur, ita quicquid pu-

trede

tredo dicitur, id omne prohibetur et tollitur. Verum, ut supra dictum est, in mitiore hujus, et consimilium morborum, statu, raro ad validissima ea remedia decurrendi erit occasio.

Acida vero omnia minime intus fumen-
da; propterea quod, debilitatum jam ante
corpus amplius infirmando, ad pessima au-
genda et exasperanda symptomata pertinent.
Quin et nisi adultis ne ad gargarizandum
quidem permittenda sunt, quia puerili ae-
tate gargarizmos per fauces non demissu-
ros nunquam certum esse potest. Haud
paulo commodior omni aetate gargarismus
est potio spirituosa valida *, cortice Peruvia-
no conjuncta, ut in ejus tinctura, quae, in
ventriculum demissa, cum reliquis auxiliis
concurrit, et ad fauces meliorem sti-
mulum admovet. Lavari acidis corpora
febricitantium, ad putredinem, scilicet, im-
minuendam, nuper coeperunt. Qui usus,
ut in causa ejus, quae adfertur, inanis est,
neque ad putredinem, quae nulla est, solven-
dam

* Tournes. Voy. to the Levant, vol. 1. p. 133.

dam pertinet; ita quoties, lavato mundo-
que corpore, opus videbitur, quia gratiffi-
mus mundities stimulus est, ita, praesertim
sub magno coeli calore, permittendus. In
frigidiore loco aut tempore, vultus et collum
lavari convenit frigida, et adjuncto ad vali-
dius detergendum acido, praeterea in majori
morbi vi, caput et adulterum barbas rad-
dere. Haec una ratio est in aegrotantium
corpora purum aërem immittendi. Sed prae-
teream.

In calidis regionibus aut locis, stragula,
five lanea, five linea veste, indusioque,
quam saepissime mutatis, apertis subinde fe-
nestris, cubiculo deterfo, atque acidis aut
gratis odoribus conferso, aëris puritati, et
simul aegrotantis vigori, optime consulitur.
Isque in amplo et perfato cubiculo
reponendus. Ibi vero, ubi calor et ex eo
impuritas minus urget, ut in plerisque an-
ni apud nos mensibus fit, harum rerum
cura minus sollicitudini esse, et validiori-
bus fidere auxiliis medens, debet.

Cum

Cum morbus vehementior est, atque etiam extremum periculum denunciat, vinum merax ac validum prius, dein potio saccharina leviter diluta, ingerenda, sine temporis dispendio, minus copiose primum, dein magis. Cum his opiata alternanda, et blandi alentes humores, ut juscula supra relata, subinde intermiscendi, et quantum, ut sumi sine incommodo possint.

Horum stimulantium auxiliorum tantum dandum, quantum aetatis et virium ratio videatur latura. Quod, hac facili nota, scire licet, si graviora instantiaque symptomata magis usque liberiore remediorum usu levabuntur, dein pro tempore tollentur. Si vomitus, si alvi dejectiones, quae colliquentis sunt naturae, compescantur, si pulsus ex exilibus, imbecillis, et creberrimis, pleniores, validiores, et minus frequentes evadent; si denique tantorum bonorum somnus, qui saepe diu ante nullus fuerit aut antesignanus erit, aut extremum ducit agmen.

Usque

Usque ad hunc eventum, potio merax relata singulis cyathis post tres vel quatuor horas danda, mediis hujus temporis spatiis, perpaucae laudani guttae in aetate puerili interponendae.

Postquam somnus incidit, five citius five serius, id deorum in febribus donum, minime intercipiendum, sed antequam vigilia expectanda, renoventur doses. Quod, si post somnum primum symptomata non satis fugata videbuntur, singulae doses augendae, eoque magis, quod saepius nunc vigilia, redeunte somno, interpellabitur, et stimulo jam magis perferendo ipsius usus efficiet. Somni quaeque vices longiores et recreatiores erunt, et post quas levamen usque augetur.

In puberibus aut adultis, qui rarius hoc morbo implicantur, nisi perquam imbecilli, omnia prorsus ac in justo typho administranda. Moschus eadem esse natura qua opium videtur; eoque sicubi hoc ventriculo
parum

parum convenit, quod aliquando accidit, illud ei suffici potest.

Camphorae, quantum innotuit, eodem spectat virtus. Cujus tamen opus, quoniam anceps et periculofum experimentis hactenus adparuit, ideo pluribus prius constituendum, quam certus aditus ad usum ejus esse potest.

Cortex Peruvianus leniori morbo optime obviam it. Qui integer, non decocti, non soluti formis, quae imbecillae sunt, assumendus est.

Peridoneus, denique, qui rapide et potenter in totum corpus dissipetur, aether est. Cujus, ut quibusdam, sine consilio et fortuitus, curationibus adparet, summa virtus ad excitandum celerrime et potentissime corpus a minimis ad fatis largas doses nuper tractata. Plura tamen experimenta, curationes plures, et ampliorum usum, quibus certius cognoscatur, aptiusque medendi consilio accommodetur, postulat.

Cum copia, et novitas nuper oblata, de hoc morbo latius scribendo potestatem fecerit, multa varia et non prius audita proferre ausus sum, sperans si non laus, venia vero concessa, juveni mihi, suo alumno, a gravissimis viris hujus praeclaræ scholæ Professoribus, pro illorum noto candore, et ardore scientiæ veræ alendæ et tuendæ, quo nullis cedunt, has primitias offerenti. Quicumque vero de me bene meriti sunt, ad veritatem, quod omnibus antepono, manu quasi ducendo, et per erroris labyrinthum veluti filum præbendo, iis pro sui cuique beneficii mensura, gratias ago.

F I N I S.